



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Laudes, vituperia, iudiciaq[ue] hominu[m] quam vilifacienda: quo item eadem destinanda sint: amicis item Dei proprium quodnam esse soleat.
Can. XX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

& reprobaucrit, quomodo detraxerit omnibus sermonibus meis, quanta opprobria, illusiones, despectiones, derisiones pertulerim, tanquam reprobis & vilissimis & pro vilissimis: ingratis creaturis meis: Ego verò subsannatus & velut opprobrium hominum abiectus: neminem spreuerim, nec me excusauerim ne contra dixerim. Vide etiam tu quæ digna es sperni, duritiam, negligentiam, peccata, ingratitudinem, instabilitatem, vilitatem & nihilitatem tuam. Gemo, plange, & conuulsis lachrymis coram me te ipsam argue.

Humilitatē
quænam fo-
reant.

Quæcumque tibi occurrunt, verte in materiam humiliationis tuæ. Vide ne tibi placeas: imò mirare potius, qui fieri possit vt vel alicui placeres si te rectè quis cognosceret. Dirige oculos cordis tui continuè in tuum non esse: & in tuum non habere, considera, quam nihil sis, & quod esse deberes & non es. Item quid non habes & non pascis, quam multa tibi desint: quam longè denique à vera & perfecta charitate, & à sanctorum perfectione distas: item quam dissimilis atque difformis es: simulq; considera quod prorsus nihil boni à te habes, sed sine medio à me solo bona omnia.

Quænam
quique ha-
beat à se
ipso.
Natura hu-
mana quid-
nam sit.
Mala occul-
ta vt homi-
nem humili-
cent.

Porro hæc sola tua sunt, hæc à te ipsa habes: videlicet, peccare, delinquere, detecere, egere, dona ac bona mea destruere ac perdere. Certissimum est enim, si naturam humanam in sua relinquerem libertate ac pronitate, nihil boni ageret, sed in deteriora semper laboretur: quandoquidem tam vehementer etiam à me prohibita ac retracta, ad malum adedò prona, vit. Siquidem natura humana nihil est, & nihil habet à se, & ad nihil tendit. Hæc consideratio si assidua fuerit, non parum conferet ad humilitatem. Accedere debet nihilominus alia humiliatio pro occultis ac tibi ignotis defectibus tuis, quæ plerumque (tamen si tu cæcutiens illos non depræhendas) graues sunt. Pro eis itaque ante pedes miserationum mearum prode & irremediabilem peccandi in te pronitatem infirmitatemque ex animo luge: nec vnquam aliter de te sentias, quàm de ea quæ in multis est rea & cæca, omniumq; ingratisima.

Laudes, vituperia, iudiciaque hominum quam vili facienda: quo iton eadem destinanda sint: amicis item Dei proprium quodnam esse soleat.

CANON XX.

DE hominibus, quid de te sentiant, quomodo te iudicent, nō occupes animum tuum, neq; horum iudicium formides, modo scieris, quantum in te fuerit, eis scandalum occasionem ve in te detrahendi non præbueris. Neque enim si laudaris melior, neq; si vituperaris prauior es: sed hoc es, quod ante oculos meos est. Propterea aliena laus non erigat te, neque vituperium contristet. Quid enim tibi laus conducit aliena? Nihil profectò, quæ vehementer etiam sapius nocet, vt pote tibi imponens, & inaniter te inflans. Aut contra. Quid contemptus, correptio, abiectio, obreftatio, damnatio, hominumq; persecutio tibi nocere potest? Itidem nihil. Quippe quæ profunt etiam, quæ te ad tui cognitionem reducant, nec parum ad humilitatem, vitæ morumq; emendationem conferunt. Inde enim discas cautius prudentiorq; inter homines viuere, & in hominibus nullam; in me verò omnem spem tuam locare. Iudicia igitur hominum non admodum curanda sunt, siue boni siue mali. Sine illos loqui, sine illos opinari. Tu in terra ad me cor tuum dirige, & lustrata conscientia tua, si nihil me offenderis, nihil me-

Laus vel vi-
tuperium a
vorum quid
cuique con-
ferat.

Iudicia ho-
minum quæ
vili facienda.

me Porro, si te offendisse deprehenderit, plange: non quia homines te vilipendant (hoc enim iuste iam pati & desiderare debes) sed quod tu me offendisti, & delinquendi in super occasionem præbuisi hominibus. Si verò quod delicto caret quippiam in te aut laudatum aut vituperatum fuerit, non aliter aut plus inde mouearis, quam si alius quispiam laudetur & vituperetur. Si te homines laudant, id eorum errori ascribas & beneuolentiæ: si arguunt aut damnant, nihil mirare. Quid enim mirum est si vitam tuam homines carpunt, si despiciunt, si damnant: quando vitam meam quoque innocentem, omni labe carentem, & in quam nulla cadebat reprehensio, damnauerunt & delexerunt omni eruditioni meæ? Gaude potius quod ad itnera mea peruenaris, humiliationis videlicet & abiectionis, & quod pateris ab hominibus persecutiones. Sine tu alios in te machinari mala, ego eorum mala faciam tibi bona: sustine tantum, & tace. Studeas tu mihi in omnibus placere, non hominibus. Itaque si hominibus places, eorum puta falli opinionem circa te, quia te non cognoscunt sicut mihi cognita es, sed iuxta exteriorem speciem, pro sua bona simplicitate te iudicant. Si verò displices, tuis demeritis id tribue, & inde te magis humiliā. Quod si pro tantillo despecta es, quid fieret si te cognoscerent homines, si peccata, si vitia tua omnia atque ego viderent?

Amā igitur vilis & despecta haberi, nec vnquam aded despiciaris, quando te magis despiciabilem æstimes. Præ omnibus creaturis miseram, indignam, ingratiā, atque egentem gratiæ & misericordiæ meæ te debes æstimare, & te prorsus nihil, omniaque opera tua nullius virtutis aut momenti extra me cognoscere. Nemo aded malus, quem non æstimes te meliorem, cæloq; digniorem. Alios crede mereri, te verò sola misericordiā meā tolerari. Eam ob rem nulli hominum audeas te nunquam comparare, sed omnibus hominibus æstima te plus deliquisse, cunctisq; viuiorem ac mihi ingratiorem te esse: quia quod ex te est, aut nihil est, aut peccatum est. Efferre autem, seu præferre se ex donis meis, intolerabilis ac insolentissimæ est superbiæ. Ad hanc cauendam, vtiliter subtraho tibi sensibilia dona mea, quia nescis illis vti, nisi ad extollentiā tuam, cum tamen nihil inde deberes tibi attrahere seu ascribere, sed purè omnia ad me referre. Vigila itaque propterea ne quicquam à me desideres propter te, sed propter me solum; ne aut per superbiā ingrata sis mihi, aut abominabilis per negligentiam. Vide quam nihil sis, quam cito superaris: si quando non defendo te, quando ego non pugno pro te, non valvas sustinere leuissimam aduersitatem, non vales expugnare debilissimam tentationem, nec potes tuo vitio quodcumque bonum non inquinare.

Nimium es pronā ò filia in aliorum vituperationes, quod haud dubium arrogantiæ est inditium, quasi tu propterea his præferenda sis qui vituperantur, dum fortasse vitio hoc cares quod in aliis accusatur, aliis licet vitii interim subiecta. Haud quaquam igitur præferenda es, quin potius multo detestabiliorem te facit lingua tua, quæ tuam arrogantiam aut inuidiam manifestat. Amici mei non aliena, sed sua vitia solent carpere & accusare. Nam & opera sua omnia habent suspecta, & seipos suspectos habent: nec credunt sibi, propterea quod in multis didicerunt se falli. Semper enim metuunt, quod purè me non querant: porrò aliorum opera mirantur, & laudant. Nullas enim de proximo volunt admittere suspensiones. Omnino igitur & tu alios aut lauda aut excusa, aut prorsus tace, tuam solam vilitatem ingratiūdinemque continè in oculis habens, & admirans, quod non omnes homines te detestantur & ar-

Fauorem aliorum erga se quoniam quisque desinitate debeat.

Superbiā quanta sit, ex donis Dei se efferre.

Oculatam esse in aliorum defectus cuius tibi inditium sit.

Mores amicorum Dei quæ sint.

Humilitati
quam sit ne-
cessaria hu-
militatio.

guunt. Non potes filia obtinere humilitatem, nisi diligas humiliari. Humilitatem
necesse est precedat humiliatio. Omnia igitur quæ tibi eueniunt, accipe de manu
mea ad tui humiliationem. Dilige etiam ab aliis te humiliari ac vilipendi. Sine fa-
mam tuam traduci. Sile tu, & tibi crede. Ego melius, quàm tu scio famam tuam
excusare. Si te ipsam defenderis, non indiges mea protectione. Si humiliter & passi-
ter taceris, ego noui tempus, quo pro te respondeam. Noli tu excusando te, me
preuenire. Ego pugnabo pro te, & tu tacebis.

*Obedientia quantæ sit præcellentia: quomodoq; & quibus ea sit exci-
benda vtq; simpliciter nos Prælati propriis subiiciamus.
voluntas item propria quanto studio semper &
vbique persequenda sit.*

CANON XXI.

Obedientia
quædo sit sa-
crificium
Deo gratif-
icatum.

Obedientia virtus est præclarissima, & mihi maxime accepta. Opus quod ex
suo genere esset vilissimum ac minimum, si propter solam obedientiam pe-
re fiat, magis est mihi acceptum, magisq; facienti proficuum ac meritorem,
aliis innumeris per voluntatem propriam factis. Neque enim (crede mihi filia) sa-
crificium potes offerre nobilius neque dignius, quàm vt cor humile, obediens, nig
ad omnia mihi offeras paratum. Si quidem fieri posset, vt vna obedientia posset
psum homo propter me relinquere ac exire, & ita suam voluntatem propriam ab-
negando plus proficere, mihiq; intimius coniungi, quàm si exercitiis aliis nobilissi-
mis multo tempore vacasset. Quapropter debes esse obediens filia, vt si etiam spe-
cie corporali me tibi præsentem cerneres, meaq; præsentia fruereris, quemadmo-
dum sponsa cohabitans suo fruitur sponso, quando ad obedientiam auocaret te.
me quispiam tu me deberes relinquere & obedire. Hæc enim relictio non esset mei,
sed tui ipsius, quia proprium commodum propriam consolationem postponeres
meo honori, & meæ voluntati, quæ est vt abneget te metipsam, & vt non quærat
quæ tua sunt, sed aliorum. Hoc igitur modo te ipsam, & propriam quaesitionem re-
linqueres. Nam me non relinqueres, sed contemplo nobilius atque vberius inu-
nires.

Relinquenda
omnia ob-
edientia.
1. Cor. 10.

Disce igitur te propter me relinquere, hoc est, tuo fructu, tua consolatione, tua
deuotione, tuo profectu, per tui abnegationem carere: vt quod debitum est facien-
do & me honores, & per aliam viam proficendi non solum nihil amittas, sed con-
tuplo etiam potiora conquiras. Quapropter nihil sit tibi ad eum charum, nihil vi-
deatur tam vtile, à quo propter obedientiam non sponte ac animo resignato ab-
laris. Quicquid enim est, cuius amore obedientiam recusas, aut ad eam tristiter
murmurasq; accedis, hoc idolum est propriæ voluntatis, plus quàm dici potest
tibi perniciosum. Si in loco fueris vbi superiorem non habes, aut vbi ipsamet superi-
rior es, omnes homines facias tibi superiores, obediens eorum voluntati, & tuam
relinquens. Verum id non ex ignauia, sed vbi licet, & ex studio te ipsam propter me
abnegandi. Obedientiæ virtutem ex intimo cordis dilige, eamque vsq; ad mortem
non deseras, non solum superioribus, verum etiam omnibus hominibus propter
me, vbi cumque mea non contradixerit voluntas, idq; sine tristitia, sine murmure.

Idolum vo-
luntatis pro-
prium quod

Quomodo
quis quibus
que sese sub-
iciat.